Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 529
Quelle:
Copyright:

non rara est, in *Notis* suis adtulissent. Ita mox in Prologo Noster habet: *elucent atque eminent* pro *lucent atque emicant*. Item *medio fervente calore* pro *meridiano ferventem calore*, *in provecta* pro *in processa*, *castitatis et simplicitatis spiritale sacrificium* omisso, quod Edita interserunt, *τῷ animantia*, demum *rationis capax hostia*, quod ultimum verbum in Editis non legitur. Sic et per decursum Sermonum, ut exempli caussa Serm. XXII. et ult. *Hic est ergo profectus finis, culpe situs* pro *ut etiam culpae sit; Qui jam errare nescit* pro *qui in errore jam non sit*, &c.

CCXCII.

U. 179 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 331. f. bene perscriptus, rubricis enotatus, et, ut *fol.* praevio, cui etiam Theologica quaedam *de Malo et Peccato* adscripta sunt, dicitur, a celebri *Thoma Haselbachio* legatus cum tot aliis *Collegio ducali Vien.* complectitur sequentia: I. *Incipit tractatus beati Ambrosij Episcopi in Epistolam beati pauli ad Romanos.* Et sic in reliquas XIII. Apostoli *Epistolas.* Verum hi Tractatus *Ambrosium* solum modo mentiuntur, ut egregie discussere *Mauriani* edit. *Opp. Paris.* 1690. in *Append.* T. II. *col.* 21. f. qui Tractatum ultimum in *Epist. ad Hebraeos* penitus omisere, utpote ne quidem ad hunc *Ambrosiastrum* pertinentem. Extat tamen in *Cod.* nostro *fol.* 213. p. 2. hoc rubro: *Incipit commentum Beati Ambrosij super epistola ad Hebreos.* Initium Prologi Tract. I. est: *Principia rerum requirenda ut noticia earum possit haberi* &c. Quae paullo aliter se habent in Editis.

II. *fol.* 243. *Incipit de virginibus liber primus Beati Ambrosij ad sororem suam Marcellinam.* Ita: *Si iuxta celestis sententiam veritatis* &c. Sequitur *Liber* II. et III. ut in edit. *suprac.* T. II. *col.* 145. Verum adtextus est etiam IV. qui huc non pertinet, et separatum constituit Tractatum, qui in edit. T. *eod. col.* 213. titulo *De Virginitate Liber unus* legitur hoc initio: *Nobile apud veteres Salomonis* &c. Et merito quidem, si initium Tractatus adtendas, quem nunc indico.

III. *fol.* 270. *Incipit liber de viduis beati Ambrosij Episcopi.* Nempe sic: *Bene accidit fratres ut quoniam tribus libris superioribus de virginum laudibus disseruimus* &c. Vides *Ambrosium* ipsum non nisi *tres* Libros memorare. Igitur *Liber* ille IV. seorsim et serius scriptus est, et in edit. *cit.* post *Librum de Viduis* T. II. *col.* 213. rite comparet.

IV. *fol.* 281. p. 2. *Secundus liber de* (*Officijs* scriptum erat, sed eo jugulato superimpositum) *viduis beati Ambrosij Episcopi.* Nihilo sanius Librarius. Scribendum erat: *Exhortatio Virginitatis*, vel *ad Virgines*, sed illusit ei *Juliana* pia *Vidua*, quam S. Doctor tres Filias ad servandam virginitatem exhortantem inducit. Itaque Sermo hic peculiare constituit Opusculum, et ut tale prostat edit. *cit.* T. II.